



Philipus in Pannonia inferiori Germanis parentibus natus & educatus est. Is a teneris annis, relicto patrio solo, militare coepit, atque cum alijs sua gentis militibus Romanam uenit. Ibi Caesarum castra securus, ob praeclaras animi & corporis uirtutes per gradus ad maximum dignitatis fastigium ascendit. Primo enim centurio, postcomes, deinde copiarum dux, postea praefectus praetorij constitutus fuit. Cum enim contra Persas cum Gordiano profectus esset, atque Misitheus Gordiani socius & praefectus praetorij occubuisset, in eius locum electus est. Itaque Philippus fortunae successu insolentior factus, de Imperio cogitare coepit, atque militibus persuasit Gordianum iuniorem esse, quam qui tot provincias administrare queat. Hinc ab exercitu permisum ut tanquam tutor cum Gordiano imperaret. Cum autem imperij consortem ferre non posset, curauit per amicos ut is clam interficeretur. Mox Philippus senatu literas misit, Gordiano morbo extinto, se ab exercitu Imperatorem creatum. Senatus deceptus credidit, ipsumque Augustum appellauit, relato Gordiano inter Diuos. Facia igitur cum Persis pace, iter per Arabiam fecit atque ibi Philipopolim urbem sui nominis condidit. Hinc quidam putarunt ipsum ex Arabia oriundum, quod tamen Auentinus commode refutauit. Postea urbem petens filium consortem Imperij fecit, atque militibus multa munera distribuit. Cum autem quidam pacem cum Persis initam ignominiosam Romanis censerent, quod eis Syriam concessisset, illis bellum indixit, atque sine sanguine eam provinciam recepit.